Theses philosophicae.

Numéro d'inventaire : 1980.00014.35
Auteur(s) : Jacques Buré
Mathurin Avice
Type de document : affiche
Éditeur : non renseigné (Caen)
Imprimeur : Jacques Ysambart
Période de création : 3e quart 18e siècle
Date de création : 1761
Description : Une feuille. Bords froissés et déchirés par endroit. Coins cornés. Papier froissé à l'endroit des pliures. Estampe dans la partie supérieure.
Mesures : hauteur : 465 mm ; largeur : 354 mm
Notes : Affiche annonçant les thèses de philosophie que doivent soutenir Jacques Buré et Mathurin Avice au Collège-séminaire des Oratoriens de Caen, le mercredi 14 janvier 1761. Les articles traitent de morale. L'estampe au burin, de médiocre facture, représente deux anges portant chacun une palme, et tenant une couronne d'épine avec les mots "Jésus Maria".
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1
Mention d'illustration
ill.

CHRISTO INFANTI
THESES PHILOSOPHICÆ.

EX MORALI.

I.

MORALIS, seu Ethica, est ea Philosophiæ pars, quæ in dirigendis ad honestatem moralem actibus humanis versatur; & vulgò definitur Prudentia & Scientia practica, actuum humanorum ad honestatem moralem directrix. Cujus proindè objectum totale & adæquatum sunt actus humani, quatenùs ad honestatem dirigibiles. Est Ethica naturalis, est & acquisita: Hæc, quæ exercitio comparatur, specialia benè vivendi præcepta è primariis & generalioribus deducit; illa generaliora menti exhibet. Cave actum humanum cum actu hominis confundas: prior enim ex deliberatione & consilio fit: posterior verò sine deliberatione.

II.

PRINCIPIA actuum humanorum externa sunt. Bonum, finis & beatitudo. Bonum aliud est absolutum, nempè quidquid est in suo genere perfectum; aliud relativum, id omne scilicet quod ad aliud quid perficiendum inservit: hujus essentia in perfectivitate est: Hoc autem bonum triplex vulgò distinguitur; honestum, jucundum & utile: sed jucundum & utile, prout abstracta sunt ab honesto, neque sunt bona neque mala moraliter: nec ullum bonum, nisi sit idem honestum, dici potest propriè & simpliciter utile. Finis est id propter quod aliquid fit vel est. Homo semper agit propter aliquem finem ultimum formaliter; non verò belluæ: nec potest plures simul intendere fines totales simpliciter ultimos. Deus solus est ille finis ultimus, ad quem tenetur homo actiones suas omnes referre. Circà beatitudinem distinguendum est objectum, nempè bonum ultimò perfectivum, quod aliud quàm Deus solus, esse non potest; & forma seu ratio quâ fit illa perfectio; quæ variis varia est, nobis verò videtur in suavissima Dei per visionem & amorem fruitione consistere: ac proinde nulla datur naturalis, ut vocant, beatitudo.

III.

PRINCIPIA interna actuum humanorum sunt vel congenita vel acquisita. Principia congenita præcipua, seu facultates à Deo concessæ ad operandum, sunt intellectus, voluntas, & appetitus sentiens. Intellectus, ad quem refertur synteresis & conscientia, ea est mentis facultas quæ percipit, & est principium actuum humanorum dirigens. Voluntas verò; quæ eligit & se determinat; & est principium actuum humanorum efficiens, definiri potest, appetitus ille quo ferimur ad amandum bonum in genere. & cujus vi varia bona particularia eligere possumus. Voluntas sub priori respectu considerata, dicitur voluntarium; sub posteriori autem appellatur libertas, seu liberum arbitrium. Voluntas cogi non potest in suis actibus elicitis: metus, etiam gravis, non tollit voluntarium; neque ignorantia, nisi sit antecedens; neque passio, etiam antecedens, dum usum rationis non tollat.

IV.

LIBERTATE donari hominem, etiam in statu naturæ lapsæ, certissimum est. Ea libertas, quæ rectè definitur à Divo Thomâ, facultas mediorum electiva servato ordine finis, non in æquilibrio virium, nec in voluntario solo consistit: sed in indifferentiâ contradictionis activâ. Eadem circà amorem beatitudinis in genere, circà malum quatenùs est malum, circà veritates eas quæ præ se ferunt evidentiam, locum non habet: benè verò, tùm circà media diversa quæ ducunt ad finem, id est circà quælibet bona particularia; tùm circà propositiones quibus aliqua est adjuncta obscuritas: tùm etiam circà ideas & perceptiones, iis scilicet attendendo vel non, pro beneplacito.

V.

QUANDO voluntas consideratur quatenùs bonum appetens, dicitur Appetitus; qui vel est intellectivus, vel sentiens, per quem scilicet occasione variorum motuum qui fiunt in partibus organicis nostri corporis, ferimur in objecta sensibilia quæ prodesse corpori, vel ea refugimus quæ nocere possunt. Porrò duplex ille distingui solet; concupiscibilis & irascibilis. Qui uterque est Principium actuum humanorum movens. Ex hoc autem fonte gemino variæ scaturiunt passiones, seu affectiones illæ speciales, quas occasione variorum in corpore motuum experitur mens humana. Passiones generatim non sunt ex naturâ suâ moraliter malæ: sed usus earum legitimus in eo consistit, ut ad justam redigantur mediocritatem: si quæ hoc fræno constringi se non patiantur, à peccato, non à naturâ profluunt.

EX MORALI.

VI.

PRINCIPIA actuum humanorum acquisita, sunt Habitus, qui frequenti usu repetitisque actibus comparantur. Ii porrò, qui sunt boni vel mali; virtutes nempè vel vitia, sunt principium actuum humanorum adjuvans. Virtus generatim est habitus inclinans ad bonum, vitium verò ad malum. Virtutes morales in medio stant & causaliter & formaliter: sunt inter se connexæ & concatenatæ in statu tùm heroïco, tùm medio. Est sua virtuti pars superior, est & inferior: hæc famulari vitio etiam potest, illa nunquam; siquidem nihil aliud est, quàm constans & firmus amor ordinis. Dividunt virtutes in secundarias & primarias seu Cardinales: harum numerus meritò admittitur quaternarius, nempè prudentia, justicia, fortitudo. & temperantia.

VII.

PRUDENTIA est habitus verâ cum ratione activus circà ea quæ bona sunt moraliter vel mala. Justitia, seu constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, est vel Commutativa, quæ æqualitatem in commutationibus & contractibus præscribit; vel Distributiva, quæ præmia & pœnas pro meritis vel demeritis personarumque conditione decernit. Volenti injuria fieri non potest. Judex teneatur judicare secundùm allegata & probata, etiam in causâ capitali, si sententiam ferat: at tenetur à ferendâ sententiâ abstinere, aut etiam magistratum abdicare potiùs, quàm in causâ capitali condemnare innocentem. Usura tùm legi naturali, tùm legi divinæ adversatur. Fortitudo modum præscribit timori & audaciæ: magis intrepentinis quàm in præviis, in defensivis quàm in aggressione elucet: à suicidio autem certamineque singulari, quod duellum vocant, prorsùs abhorret. Temperantia denique modum ponit sensuum voluptatibus.

VIII.

PROPRIETATES actuum humanorum, si ad absolutas spectes, sunt eorumdem actuum in se ipsis spectatorum affectiones; & duæ numerantur: voluntarium & libertas, de quibus suprà. Relativæ habent ordinem ad regulas morum; & duæ sunt pariter: bonitas & malitia. Bonum quippe malum morale ex naturâ suâ, non ex opinione tantùm differunt. Malitia est actûs humani cum morum regulis difformitas; & consistit in solâ privatione rectitudinis debitæ. Bonitas verò, quæ nihil aliud est quàm conformitas actûs humani cum iisdem regulis, repetenda est ab objecto, fine & circumstantiis simul conjunctis: ita ut non dentur actus indifferentes in individuo.

IX.

REGULA actuum humanorum sunt lex & conscientia. Nunquam licet agere contrà conscientiam; nec semper juxtà conscientiam. Si illa sit dubia, aut momentis utrinque librata æquè probabilibus, aut etiam hinc vel indè probabilioribus, ubi scilicet agitur de jure naturali; hoc triplici in casu pars tutior est eligenda. In materiâ verò juris positivi nec ad legem naturalem ullatenùs spectante, si pars alterutra sit probabilior, probabiliori adhærendum est. Si autem scrupulis anxia laboret conscientia; eos priùs cura excutiendos, quàm agas. Lex duplex; Naturalis, nam talis existit, quæ immutabilis est nec patitur dispensationem, & cujus præcepta, saltem primaria, ignorari invincibiliter non possunt; & lex positiva, quæ definitur ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet societatis lata. Huic, ut actu obliget, essentialis est promulgatio, justitia, honestas & in observatione possibilitas. Dividitur in divinam & humanam: humana rursùs in Ecclesiasticam & Civilem.

X.

HINC officia profluunt. Officia autem hominis ad tria capita revocari possunt: nempe officia ergà Deum, ergà seipsum, & ergà alios seu proximum. Quæ ad Deum spectant, in hoc uno continentur præcepto; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Officia verò hominis, tùm in se ipsum, tùm in proximum in hoc altero includuntur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: Ex quo liquet hominem teneri se diligere, sed dilectione ordinatâ. Quæ omnia Theologis Moralibus enucleanda fusiùsque disputanda relinquimus.

Has Thesses, Deo duce & auspice Deiparâ, tueri conabuntur JACOB. BURÉ, Clericus, *Cenoman.* MATHURIN. AVICE, Convict. *Cenoman. In Aulâ Collegii Seminarii Cenomanen. Sacerdotum Oratorii Domini* JESU, *Die Mercurii* 14. *Januarii*, *Anno* 1761. *Horâ post merid. secundâ*

CENOMANI, Ex Typis JACOBI YSAMBART, Collegii & Civitatis Typographi, In Compito Sirenis.